

Johann Bacmeister

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Joannes Bacmeisterus, Med.  
D. ... Viri ... Dn. Joachimi Friderici a Moltken/ ... Dn. Gustavi Adolphi ... Consilarii  
... Funus. Solenniter indicit, Et ad ... eiusdem Exequias, Omnium Ordinum Cives  
Academicos ... invitat**

Rostochi[i]: Kilius, [1677]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770663303>

Druck Freier  Zugang




Bacmeister, J.,  
in  
**J. F. à Moltke.**  
Rostock, 1677.

12.







PROGRAMMA,

<sup>Qvo</sup>  
RECTOR

Universitatis Rostochiensis

JOANNES BACMEI-  
STERUS, Med. D. ejus-

demq; , uti & Math. Superiorum

Profess. Publ. Facult. it. suæ SENIOR;

VIRI

*Generosi & maximè Strenui*

DN. JOACHIMI

FRIDERICI à *Moltken*

Sereniss. Principis ac Ducis Me-

DN. GUSTAVI ADOLPHI, & C.

DN. nostri clementissimi,

Consiliarii, Ducionisq; Ribnizensis Præfecti

Funus.

Solenniter indicit,

*Et ad celebrandis ejusdem Exequias,*

Omnium Ordinum CIVES ACADEMI-  
COS seriò seduloq; invitat.

ROSTOCH, Typis Hæred. JOHANNIS KILLII, Acad. Typogr.





Vem Matri hodie reddimus suæ, publicitusq; efferimus, veteris VIRUM profapiæ, multarumq; imaginum, is verò Sexagenario nō admodum fuit minor; ceu qui Anno Seculi hujusce XIIIX, die XV. Novembr. nascetur. Non minuta adeò, fatemur, ætas, si in se spectetur. Sed enim, si, quæ priscis viguit temporibus, longævitati componatur, sic satis minuta. Quamquam vivendi ista spacia & nunc & pridem redacta oppidò in angustum sunt. Idq; planè in salutem ita factum nostram. Quando diu vivere nihil est aliud, quàm, uti hodiè præcipuè sunt tempora, diu torqueri. Ex re & vero *Ἡεροφιλέωνος* MOSCHE: quod attinet ad dies annorum nostrorum, in eis sunt septuaginta; Siq; admodum valescant, octoginta insunt: Ceterum omnis eorum excellentia, nil nisi labor est atq; molestia. Rectis-

Rectissimè divinus VIR, *Ævi humani excellen-*  
*tiam non nisi laborem, ait, molestiamq; esse.* Neq;  
enim, *Maris* habere instar hæc hominum vita  
inconcinnè aut incommodè dicitur. Uti in illo,  
ita in istâ quoq; fluctus assidui, sæpenuerò tem-  
pestas; malacia & tranquillitas rara; portus ve-  
rò, nisi mortis, nullus. Benè igitur habet, si quis  
ex fluctibus istis tandem in portû hunc subvehi-  
tur, qui miseriis laboribusque, quos tot annos,  
tamq; variè patimur, metam figit, aut magè im-  
ponit finem. Is profectò non impensius queri  
debet, quàm qui tædiosissimâ navigatione de-  
functi, quietem tandem pacemq; recipiant.  
Romanorum Sapientissimus Civilisq; philoso-  
phiæ Princeps, SENECA, *Nulla, inquit, vita*  
*est non brevis. Nulla non vana. Nam si ad natu-*  
*ram rerum respexeris, etiam Nestoris & Statilia bre-*  
*vis est; quæ nobili domo, Claudio Principe nata, in-*  
*scribi monumento suo jussit, annis sese nonaginta*  
*novem vixisse. Vides aniculam gloriari senectute*  
*longa, quanquam mani. Qvis illam ferre potuisset,*  
*si contigisset centesimum ipsum implere? Quomodo*  
*fabula, sic vita: non quàm diu, sed quàm benè acta sit,*  
*refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco aut quo tempo-*  
*re desinas: quocunq;, aut quandocunq; voles, desine.*  
*Tantum bonam clausulam & brevi & molesta vita*  
*imponere. Hæc SENECA. Ex quo Epicteto, tempo-*  
*re, non meritò posterior, hæc hausisse videri utiq;*



poterat. Enimverò Magistrū secutus ille suum  
hiscē verbis legitur: *Memento auctorem te esse fa-  
bula, qualem Doctor esse voluerit; Si brevem, bre-  
vis, si longam, longa; neq; enim optimè vixisse, qui  
diutissimè, & molestissimè simul, sed qui modestissi-  
mè vixerint, existimandum est.* **MARCUM** Im-  
peratorem, vel maximè in isto imperitandi fa-  
stigio constitutum, de vitâ humanâ sequenti com-  
mentantem pacto reperire est: *Vitâ humana  
tempus univēsum momentum est; Substantia fluens;  
Sensus ejus exilis, vix apparens; totius corporis  
humani mistura, putredini obnoxia; fortuna con-  
jectu difficilis, fama anceps, & apud posteros mera  
oblivio: quin, si compendio res sit efferenda, vita hac  
bellum est, & commoratio peregrini hospitis* Quod  
si jam autem univēsum vitæ, etiam longioris,  
non tam tempus, quàm punctum seu momen-  
tum temporis est, idq; tot ac tantarum vanita-  
tum miseriarumq; argumentum evidentissimum;  
Si, uti supra erat in effato *Mosche*, omnis anno-  
rum nostrorum excellentia nil nisi labor est, atq;  
molestia; quis non compendio exuere sese isthâc  
difficultate malit, quàm cum eadem justo diutiùs  
conflitari? Præclarè itaq; actitatum arbitramur  
esse cum **GENEROSISSIMO** nostro, qui mole-  
stis omnibus laboribusq;, quibus expositus sic sa-  
tis hætenus diu, in istâ licet sanguinis generis-  
que

que eminentiâ, non unis fuerat, defunctus jam tandem, non admodû pridem vitam cum morte, aut, si mavultis, mortem cum vitâ commutavit. Quam felicitatem summam meritò & ex animi sententiâ VIR O optimo gratulamur, & jam porrò, quæ ad commendationem ejusdem pertinebunt, quorumq; commemoratio ex ultimis humanitatis officiis est, exequimur; vindicaturi hoc pacto, quantum in nobis est, beatè defuncti ab interitu memoriam. Quamquam nil præclare adeò dici in eum scribivè queat, quin Virtus ipsius & excellentissima indoles longissimè omne exsuperârit. Natus est Nobilissimo & Antiquissimo MOLTKENIORUM genere, Patre VIR O Generoso, DN. GEBHARDO à Moltken/ Provinciali Consiliario gravissimo, in Teutenwinckel & Wesselsdorff Hereditario. Avus Paternus fuit Vir itidem Generosus, BALTHASAR à Moltken/ in Wesselsdorff/ Lüben & Neuenkirchen Hereditarius. Aviam Paternam habuit Nobilissimam ANNAM de Behren/ è domo Werder & Kassenaw oriundam, Proavus paternus primus exitit Generosus GEBHARDUS à Moltken/ in Wesselsdorff/ Lüben/ Streitfeld/ & Neuenkirchen Hereditarius. Proavia prima paterna Nobilissima MARGARITA de Lüben/ è domo Kolsow progenita. Proavus alter

ternus fuit Generosus BUGISLAVUS de Behre/  
in Werder & Rahnaw Hereditarius; Proavia al-  
tera, nobilissima ANNA von Bredowen/ è Mar-  
chiâ Brandenburgensi oriunda. Abavum pri-  
mum paternum salutavit Virum Generosum,  
DN. NICOLAUM Moltken/ in Streitfeld Here-  
ditarium. Abaviam primam paternam, ex il-  
lustri POTLITZIORUM genere satam nactus  
est. Abavus alter extitit Gonerosissimus CHRI-  
STOPHORUS de Lühe/ in Varenhop & Kötzow  
Herrditarius; Altera Atavia Nobiliss. ANNA  
Hoben. Ceteri lineæ paternæ Majores fuere  
die Grabowen/ die Oldenbürger/ die Moltkhen/  
die Zepellenen/ die Hahnen/ die Kösen/ & die Ein-  
stowen. Maternam jam porrò quod attinet li-  
neam, Matrem habuit BEATISSIMUS noster  
Nobilissimam & omnium virtutum decore in-  
structissimam ANNAM von Kotermunden/ è do-  
mo Engelswacht progenitam. Avum Mater-  
num Generosissimum Gutzloff Kotermund/ Sere-  
nissimi & Potentissimi DANIARUM & NOR-  
VEGIÆ Regis, nec minùs Celsissimi POME-  
RANORUM Ducis Consiliarium excellentissi-  
mum, in Frankburg/ & Engelswacht Heredita-  
rium: Avia Materna fuit Nobilissima ac Or-  
natissima EVA de Kraftvishen. Proavus pri-  
mus maternus extitit DN. BALTHASAR à Ko-  
termund/ in Boldevitz Hereditarius. Proavia pri-  
ma

ma materna Nobilissima MARGARITA de  
Barnetowen / è domo Stelevitz oriunda. Pro-  
avum alterum maternum nactus est VIRUM  
Generosum DN. CASPAREM de Krakevitz / Con-  
siliarium POMERANIÆ Provinciale gravissi-  
mum, in Divitz Hereditarium; Proaviam alte-  
ram maternam, ANNAM von Bredowen / Fe-  
minarum Nobilissimam, præstantissimamqve.  
Primus Abavus maternus fuit Generosus DN.  
NICOLAUS de Rotermund / Celsissimi quon-  
dam POMER. Ducis Consiliarius intimus, in Bol-  
devitz Hereditarius; Prima Abavia materna No-  
bilissima ANNA von der Osten / è domo Plügg-  
gentien prognata. Altera Abavia materna No-  
bilissima & Generosissima SOPHIA von Zash-  
munden / è domo Spyster originem ducens. Ce-  
teri lineæ Maternæ Majores extirere die von der  
Osten / die von Krakevitz / die von Zashmund / die  
von Kardorff / die von Potlitz / die Hoben / die Gra-  
benowen / die Oldenbürger &c. Possentqve tam  
MOLTKENIORUM, quàm ROTERMUN-  
DORUM extendi, aut deduci latius familia, ex  
quâ, uti ostensum, GENEROSISSIMUS noster  
sanguinem originemq; trahit, ni utriusq; splen-  
dor ac decus & in patriâ hac nostrâ, & extra  
etiam eandem apud exteros, POMERANOS  
præcipuè, celebraretur abundè, atq; adeò pro-  
lius

lius isti quidem inhærere commentationi, super-  
vacaneum foret. Sed enim utrunq; sublimis ac  
splendida **FUNCTO** nascendi fors contigerit,  
tota tamen, quanta, quanta fuit, carnalis extitit,  
& ad salutem æternam nil omninò collatura  
momenti; Sexcentiesq; vel minor, vel inferior  
alterâ illâ, quam per aquam nactus & Spiritum  
est, quæq; una verèq; nobilitavit, fecitq; adeò,  
uti in **DEI** dudum adsciferetur civitatem, cœ-  
lestiumq; nunc reapse hereditatem adiret. Quo  
ipso sanctissimæ regenerationis divino potitus  
beneficio, & jam ætate aliquantò provector,  
honestissimam continuò egregiamq;ve maximè  
mentem, quam melior Natura attribuerat, præ-  
fese ferre, idq; studere summoperè visus est, uti,  
sicut excellentia generis, ita virtutum quoque  
prærogativâ quosvis suæ conditionis alios præ-  
tergrederetur. Enimverò rectissimè secum  
reputabat, nascendi sortem, generisvè præstan-  
tiam cœno pejùs collini morum spurcicie, parum-  
que natalium decus conferre lucis, nisi animus  
& vita responderint. Utq; eò rectius proposi-  
tum exequeretur, istudq; eximiarum virtutum,  
in quibus solis vera demum sita est Nobilitas,  
stadium decurreret, placuit non soli sibi sapere,  
aut proprio rem Marte agere, sed in subsidium  
tam pulcri conanimis advocitare manuucto-  
rum.

rum Præceptorumve operas Ubi initio VIRI  
Amplissimi & Consultissimi DN. NICOLAI  
SCHOMERI, J. U. D. ac celeberrimæ LU-  
BECENSIUM REIP. Senatoris Clarissimi,  
curæ fideiq; concreditus est; Quo cum, Lati-  
nitatis ante fundamentis probè domi jactis, ad  
varias ablegatus est Academias; ceu *Marpur-  
gensem, Rinthelensem, Franekeranam, Leidensem;*  
qvâ eadem occasione præcipua BELGII lo-  
ca adita perlustrataq;. Deîn verò hac ipsâ pe-  
regrinatione feliciter, nec sine singulari stu-  
diorum morumq; suorum incremento, per-  
actâ, consilio svasuq; Generosissimi DN. Pa-  
rentis, ROSTOCHIUM reversus, ibidem,  
non minùs feliciter, quam alibi orsus erat, stu-  
diorum, qvæ diximus, telam pertexuit. Ce-  
rerùm brevi post, Anno scil. 1641. Matre;  
sed & Anno 1644. ipso quoq; Patre denatis,  
insuperq; *Mecklenburgicâ* hac ipsâ tellure per  
Mavortis violentiam injuriasq; tantùm non red-  
actâ ad incitas, uti ne nativis qvidem prædiis,  
aut hereditariæ ditioni spes salutis ulla super-  
staret, Svecicæ militiæ nomen profiteri suum,  
stipendiaq; ejusce CORONÆ merere, mini-  
mè præter rem fore suam arbitratus est: Idq;  
adeò cessit prosperè propositum, uti CAPITA-  
NELI, ceu vocari svevit, dignitatem locumq;  
B non

non tantum indidisceretur, verum etiam spar-  
ram hanc ipsam eximie fortiterque ornaret.  
Paucis annis antè, non sine NUMINIS pro-  
videntiâ, Cælorumq; dispositione, sed nec si-  
ne consilio instinctuq; eorum, ad quos ea cu-  
ra pertinebat, fidem matrimonii dederat MA-  
RIÆ SPERLINGIÆ, Virginum Lectissimæ  
Nobilissimæq; ; ex quâ binam sobolem,  
utramq; femineam, ANNAM CATHARI-  
NAM, & MAGDALENAM-MARGA-  
RITAM suscepit: eâ tamen lege atq; omine,  
ut originem mox ambæ repeterent, cæloque,  
undè venerant, restituerentur. Quæ Gene-  
rosissimo Parenti magna dolendi plorandique  
causa fuit; sed longè profectò major vehe-  
mentiorq; querendi & lacrimandi indè nata  
est occasio, quòd non longè post ipsa etiam  
subsequeretur CHARISSIMA, quâ cum ce-  
teroqvi conjunctè pacateq; adeò vixerat, uti  
unam animam in duobus divisam fuisse cor-  
poribus, vel ipso firmare Sacramento sustinu-  
isses. Viduitatis integrum triennium castè ac  
inculpatè pertulit onera. Diutius uti patere-  
tur, nullâ permisere ratione tot tantæq; <sup>in</sup> <sup>est</sup>  
<sup>est</sup> curæq; domesticæ, quibus solus minimè  
erat perferendis. Anno itaq; seculi hujusce  
70. die 26. Junii, novum vitæ subsidium elegit,  
aut

aut novo sibi adscivit cōjugio incomparabile  
sexus seqvioris decus, Virginem Splendidissi-  
mam Nobilissimamq; DOROTHEAM à *Med-*  
*dingen*/Generosi ac maximè Strenui VIRIDN.  
CHRISTOPHORI à *Medingen*/supremi sta-  
buli in Ducatu *Lüneburgensi* præfecti, inq; Barū  
hereditarii, Filiam. Qui & ipse nexus plurima fe-  
licitatis argumenta habuit. Enimverò si vel ma-  
ximè non usq; adeò diu, neq; ultra septennium  
perdurârit, imo verò etiam *arctius* senserit in-  
commodum, muniit tamen sese, non secus ac  
prior copula, mirificâ concordia ac pace. Non  
litium ibi temerè audires quicquam. Certa-  
tum mutuis est amoribus: in quo pugnae ge-  
neræ uterq; contendit ad summum,; neuter  
vicit aut superavit. Norat Maritus, retinen-  
dæ in officio conjugii nil facturum magè, quàm  
favorem ac benivolentiam; IPSA vicissim pul-  
cre didicerat humanitate atq; obsequio **HERI**  
sui animum sive demulcere, sive demereri.  
Hinc Nobilissimæ **VIDUÆ** eò jam intelligere  
est tantam fore rupturam acerbiolem, tristio-  
remque tam chari sibi **CAPITIS** detractio-  
nem, Sed enim, antè, quàm ad ulteriora dilaba-  
mur, meminisse verbo atq; heic inseri oportebit  
omninò (neq; enim etiam illa, sine piaculo, in-  
volvenda erant silentio) *Seremisimum* Princi-  
pem ac DN. DN. **GUSTAVUM ADOL-**  
PHUM,



PHUM, Ducem Mecklenburgicum, &c. &c.  
&c. Principem nostrum DNq; longe Clemen-  
tissimum, pie functum ad Consilium, præfetu-  
ræq; *Ribnitzensis* regundæ dignitatem gratiose  
evexisse. Non profecto ob ullam aliam  
causam, quàm quod tantis ille muneribus di-  
gnissimus esse videretur. Ipse utiq; spem de  
sele conceptam minime fefellit, nilque magis  
agere aut meditari visus est, quàm quod & in  
salutem SERENISSIMI, & demandatarum  
sibi Provinciarum honorem atque incremen-  
ta facturum crederet. Hinc nec PRINCEPS  
unquam de *Moltkenianâ* negligentia depræn-  
sus est queri; quin sexcenties laudare potius  
auditus VIRI in tot tantisq; commissionibus,  
expediendisq; tam arduis negotiis singularem  
monstratam fidem dexteritatemque. Sed  
& ante annum Reverendum *Magdeburgense*  
Capitulum CANONICI Functum titulo hono-  
reque; adauxit. Hæc hætenus. Christianismû BE-  
ATI quod jam porrò attinet; plane is fuis eximi-  
us, ipseque; DEO jugiter Cæloque; vacare, sive sanctè  
incorruptèque quantum humana videbatur  
permissura infirmitas, vivere visus est, nilque  
unquam committere eorum, quæ probro sibi  
ac dehonestamento forent. Hujuscemodi vi-  
tæ sub ipsa jam, uti supra monebamus, initia,  
fun.

fundamenta jecerat; & successu ætatis prove-  
hebat cotidie in majus. Publicis sacris ac Con-  
cionibus miram semper interesse frequentiam ac  
devotione ( nisi fors valetudine attineretur )  
conspicuitus est. Sed & domi cum Suis de-  
prensus urgere assidue Pietatis exercitia, nec  
quicquam temere auspicari, quod quidem mu-  
nerum imponeret ratio, priusquam DEO red-  
didisset suum. Sed & quos temporum di-  
ritas suis involvisset fortunis, atque adeo opis  
indigere suæ intelligeret, adeo non neglexit  
unquam, uti potius largissimè juvaret, gnarus  
omnino, rem pietatis nullam unquam ratione  
solidè constare sibi posse, nisi proximum ames,  
sicut temetipsum. Cereræ quoque VIRI Ge-  
nerosissimi dotes majores utique atque eminenti-  
ores fuere, quam uti celebrari satis abs nobis,  
laudarique possint. Et recensabitur fortasse  
prolixior virtutum, quibus fulsit, catalogus eam  
concione, quæ habenda ipsi pro more veteri,  
( ceteroquin apud nos jam inolito ) est fune-  
bris. Nos proin ad extrema tandem prope-  
rabimus, morientem NOSTRUM non nimis  
prolixè quidem, sed nec nimis oscitanter etiam  
consideraturi. De morbo certè, quo perie-  
rit, aut, si vox eam aliquantò fors fuerit durior,  
occubuerit, non magnopere videbitur anqui-  
ren.

rendum. Enimverò in jam ferè Sexagenario ipsa incipit sensim esse ætas morbus. Sed tamen difficili scorbuto, incurabili lautiorum, malo, podagrâ, ventriculi debilitate, catharri defluxibus, aliquamdiu infestari divexarique cœpit. Tandem in febres subindè & phrisin degenerarunt mala, tamque acriter incubuerunt, ut lecto planè VIRUM optimum affigerent, nec indè liberari ullo pacto paterentur. Aduere quidem statim paratissima Medicinæ præstantioris auxilia, quæq; saluti esse unquam possent, maturè satis adhibita. Ego verò præcipue, uti in causario isto corpore restituendo non plane infeliciter laborarem, tandemque optatus *ἀνοδυνίας τέκτων* forem, operam, quantam potui unquam, dedi, gnaviter præsentiam, quotiescunque vocitarer, accommodando meam, usq; adeò sanè, ut ne ipsis quidem noctibus identidem parcerem, aut earundem paterer intervenire impedimenta. Sed omnia nequicquam. Enimverò vis mali longè omni ope major fuit; morbiq; de quibus dictum (quos inter non minuta sensim etiam auditûs jactura notabatur) multò hæserunt tenaciùs, quam uti ullâ tolli ratione aut eradicari quirent. Mihi profectò, eosdem ipsos mox secururæ mortis apparitores esse,

ex


ex facili planè dabatur augurari. Nec ipsum  
vero etiam clinicum, quicquid hujus foret,  
fugere aut celari poterat. Qui proin provi-  
dè maturèqve sarcinulas collegit, seseq; ad  
discessum ex corpore suum pie ac decenter  
præparavit. Sumto extremo, eodemque  
maximè, si recte utaris, salutari Viatico, idq;  
per VIRI Reverendi Doctissimique, DN.  
CHRISTIANI SCHULTETI, Confes-  
sionarii, & in *Teutonum* Angulo Pastoris fide-  
lissimi manum ac dispensationem; Immotum  
ac firmum in Solpitatorem Redemptoremque  
Mortalium, JESUM CHRISTUM, à terrâ  
& ludicris hisce nostris subinde direxit ani-  
mum; quod satis superq; innuere visa sunt  
crebra illa suspiria, totiesq; iteratæ precatio-  
nes, quas etiam tum emisit, cum jam officio  
non amplius fungi lingua, sed balburire inci-  
peret. Et verò nihil ad nos attinet, hæreat  
lingva hæc ipsa constricta silentio, conniveant  
oculi, jaceant artus, auribus nulla amplius vis  
insit, & altâ quiete reliqua membra torpeant;  
modò ad DEUM Spiritus vigilet, modò CON-  
SERVATORIS soli merito innitatur animus, &  
tacita mens in Cælum clamet, non malè quisquã  
obiturus est diem. Tandem ipsis KL. Septem-  
bris, circa 4. vespertinam p[er]sacido leniq; solutus  
obitu,

obitu, rebus humanis feliciter beatèq; excessit,  
relinquens post se ut plurimarum egregiarum  
virtutum exemplum, sic cognatis, Affinibus, uni-  
versoq; Generi tam illustri suo, omnium autem  
maximè Svarissimæ Nobilissimæq; CONJUGI  
grande sui ac planè peracerbum desiderium.  
Enimverò quamvis multa sint, quæ mœrorem,  
nobis atq; ægritudinem afferre in vitâ que-  
ant, omninò tamen statuendum habendumq;  
est, nihil tristius aut ægrius accidere quicquam  
posse, quàm ubi duo, summâ animorum con-  
cordiâ ac fide vincti invicē, & maritali prætereà  
consuetudine, ac rerum communione omnium  
juncti, sanctissimèq; amantes necessitate ultimâ  
divelluntur, DEUS Feminarum Nobilissimam  
SPIRITU suo S. soletur, & ista viduitatis onera  
ferre clementissimè juvet. Vos jam, CIVES  
ACADEMICI, omnium Ordinum honoratissi-  
mi, frequentes in funere tanti VIRI compare-  
bitis, singulari studio ibitis exequias, & vestrà  
ipforummet mortalitatis, hac tam luculentâ oc-  
casionè, reminiscemini.


P. P. Sub Sigillo Rectoratus, die XIIX.  
Octobr. Anno 1677.

*Convocietur in Æde DIVÆ MARIÆ, circa  
secundam pomeridianam.*


\* \* \* \* \*



GK







que eminentiâ, non unis fuerat, de  
tandem, non admodû pridem vita  
te, aut, si mavultis, mortem cum v  
tavit. Quam felicitatem summam  
animi sententiâ VIR O optimo gr  
jam porrò, quæ ad commendation  
pertinebunt, quorumq; commemo  
mis humanitatis officis est, exequi  
caturi hoc pacto, quantum in nob  
defuncti ab interitu memoriam.,  
nil præclare adeò dici in eum scribiv  
Virtus ipsius & excellentissima ind  
mè omne exsuperârit. Natus e  
mo & Antiquissimo MOLTKENIC  
re, Patre VIR O Generoso, DN. C  
à Moltken/ Provinciali Consiliario g  
Teutenwinkel & Wesselstorff Hered  
Paterne fuit Vir itidem Generosus  
SAR à Moltken/ in Wesselstorff / Tü  
kirchen Hereditarius. Aviam Pate  
Nobilissimam ANNAM de Beh  
Werder & Katzenaw oriundam, Pr  
nus primus exitit Generosus GE  
à Moltken/ in Wesselstorff / Tühen/  
Neuenkirchen Hereditarius. Proav  
terna Nobilissima MARGARITA  
domo Kôlshow progenita, Proa

A 3

